

gulari in Ecclesiis ei subjectis eum nominare in Canone. 2. An in iisdem Ecclesiis ipsius nomen addendum esset in Oratione, seu Collecta, quæ in Hispaniarum Regnis recitatur pro Pontifice, Episcopo, etc. S. Rit. Con. respondit: « Quoad annunciationem nominis in Canone: Negative. Quo vero ad collectam, dilata, et ad mentem. *Mens est, ut exhibeatur Breve Clementis X. et doceatur de consuetudine in aliis Abbatibus Hispaniarum Regni, Die 1 Septembris 1804. Nullius de Lerma.* »

(2. An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis, dum elevat manus, et oculos, vel incipere debeat dum est jam in profundo inclinatus? S. C. respondit. « Servanda Rubrica de ritu servando in celebratione Missæ, tit. 8, num. 1, et altera Canonis præfixa. Tuden. Die 7 Septembris 1816. »

(3. An debet Sacerdos pronuncians in Canone Missæ nomen alicujus Sancti, de quo factum est Officium, vel saltem commemoratio, facere inclinationem capitis? S. C. *Affirmative. Ibid. num. 32.*

CANTOR, CANTUS.

S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Quum S. Con. interrogata esset: An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missæ, priusquam Sacerdos eandem Missam celebraturus ad Altare pervenerit, respondit: *Negative, et amplius.*

(2. An servari possit aperta consuetudo, ut in Processionibus Litaniarum earumdem Cantores incedant pluvialibus induti.

S. R. C. *Affirmative. Conimbri. Dub. 7 et 17, die 14 Aprilis 1753.*

(3. Essendo pregata la S. Congre. di concedere la necessaria facoltà, perchè nella Diocesi di Bitonto si possa cantare dall'Organo nel momento della Benedizione con l' augustissimo Sacramento il versetto del Salmo LXVI. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ*, secundo l' antico costume. S. Con. respondit: « Servetur Decretum in Caputaquen. diei 9 Febr. 1762, permitti vero potest ut cantetur *Benedicat nos Deus*, immediate

CAPELLA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Capellæ nuncupatæ Corpus Christi prope locum Albiniani in Comitatu Venayssino, cujus loci est Baro Alemannus de Passis qui eam ædificavit, demolitioni, nec non alienationi illius situs, ac translationi onerum non est locus; sed est locus reparationi, ac novæ ejus ædificationi a Barone dicti loci faciendæ, etiamsi Episcopus in Visitatione ruinam minari agnoscens eam esse interdicendam ac supprimendam decreverit: Arausiana die 17 Junii 1780, dub. 1.

(2. Nec Capellæ ejusdem Rectori indulgentia est reductio, ac commutatio onerum, quibus ex fundatione ille fuit gravatus. *Ibidem dub. 3.*

(4. An inclinandum sit caput, quando nominantur in Canone Sancti, qui nominantur in Canone si sint rit. semidupl. et Missa dicitur de Requiem, num inclinandum sit caput dum in Canone nominantur dicti Sancti. S. R. C. Respondit. In missis de Requiem. *Negative Panormitana Die 12 April. 1823, ad. 13.*

(5. In Canone Missæ infra actionem nominatur S. Joannes Apostolus, et Evangelista; in Oratione *Nobis quoque peccatoribus*, dicitur « cum Joanne » nascitur exinde dubium.

« Si Missa dicitur, vel fit commemoratio dicti Sancti, qui nominatur in Canone: quandonam caput est inclinandum? quando nominatur, aut commemoratio fit de S. Joanne Baptista, vel quando Missa dicitur, vel commemoratio fit de S. Joanne Apost., et Evang. » S. C. Respondit: « Dilata, et videatur particulariter ex officio. » Panormitana die 12 Aprilis 1823.

post Benedictionem juxta Instructionem Innocentii XII, a Clemente XII confirmatam in delatione Viatici. Bituntina die 18 Martii 1833. »

(4. Cantor Cathedralis Civitatis Notabilis, qui cum aliis Dignitatibus et Canonicis ab Episcopo invitatus ad Collegiatam S. Pauli Civitatis Vallette se confert, non potest gestare virgam, qua utitur in Cathedrali; eadem vero virga uti potest Cantor Collegiatæ præsentibus Canonicis Cathedralis. Melvitana Præminentiarum 19 Maii 1786, dub. 5 et 6.

(5. Ad Cantorem Ecclesiæ Collegiatæ spectant functiones Chorales muneris sui propriæ; locus autem in associatione Episcopi, et in Processionibus ei assignandus est ad formam Cæremonialis. *Ibid. dub. 7.*

(6. Ubi Cantus Chori non producitur usque ad elevationem hostiæ, *Benedictus qui venit*, etc., cantari non debet immediate post primum *Hosanna in excelsis*, sed post elevationem. Marsorum 12 Novemb. 1831, dub. 33.

CAPELLANIA.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Imminutas ita reperit Capellaniam ab Aloysio Pantalupi in Altari S. Catharinæ V. et M. in Ecclesia S. Petronii Castri Bononiensis fundatæ sortes, ejusque fructus, ut Oneris Missarum reductionem obtinuerit Sacerdos Paulus Naldius. Summam præterea scutorum 81 pro domus Capellani et viæ constructione eandem superiorum jussu impendit. Alia nunc scuta quinquaginta supersunt pro necessaria domus ulteriori reparatione eroganda. Postulavit ille suspensionem missarum pro redintegratione expensarum, et non obtinuit. Postulat nunc an et quomodo sit providendum pro aliis expensis necessariis pro totali reparatione ejusdem domus? et nequaquam obtinuit: Imolen. Reduct. et Suspens. Onerum Miss. die 14 Febr. 1778, dub. 4.

(2. Canonicus Joannes Barastrellius, qui est Capellanus trium quarumdam institutionum Monasterii S. Placidi nullum onus missarum prædecessores implevisse asserit, qui ad orandum tantum pro anima fundatorum teneri putarunt. Nihil aliud ex fundatione, nisi testatorum divinarum Officiorum celebrationem demandasse, evincitur, et unus testator celebraturo Sacerdoti reliquit redditus harum fundationum sunt imminuti, et hæ formæ quatuor sæcula præseferant. Capellanus declarari onera pro eisdem legatis piis implendis postulat. S. C. Capellanum missas in altaribus a fundatoribus designatas juxta quantitatem reddituum ad rationem taxæ perpetuæ cum applicatione pro anima respectivorum fundatorum teneri rescribit: Messanen. die 16 Maii 1778.

(3. Ad Capellanum Ecclesiæ et Capellæ B. M. V. Gratiarum Frusinonis de jure patronatus Scholasticæ Quartucci spectat administratio quoad bona, jura, credita, sacra suppellectilia, et alia quæcumque data, concessa et perventa ad dictam Ecclesiam, et Capellam; licet dicta Ecclesia a Communitate Patribus SSmi Redemptoris concessa fuerit: Verulana, Juris patronatus die 16 Jan. 1779, dub. 2.

(4. Dispensationem a summo Pontifice Benedicto XIV habuerunt, in exemplum tamen non trahendum, ad retinendas Capellanas amovibiles fundatas ab Antonio Rota in Ecclesia Collegiata terræ Ophidæ Canonicus Luccius Recchius, et Sacerdotes Venantius Telli, et Elpidius Bicolinus, etiamsi essent exteri Presbyteri, et alter Canonicus contra voluntatem expressam testatoris, qui Oppidanos vocaverat; ideo quæsitum fuit an sustineantur dictæ dispensationes, Oppidanis contradicentibus, et allegantibus esse silentio prætermittas fundationis qualitates, S. C. sustineri illas censuit. Asculana 15 Maii 1779, dub. 1.

(5. Ad legatum pium missarum ab Antonio Rota relictum deputati fuerunt duo Capellani, qui indulta Pontificia obtinuerunt missas celebrandi donec vixerint, sed Capi-

tulum terræ Ophidæ, ad quod spectat jus Capellanum, vel Capellanos deputandi, exorat ut dicta indulta tanquam subreptionis, et obreptionis vitio infecta revocarentur, quum qualitates a testatore requisitas Capellani minime haberent. S. C. indulta præfata valida esse, et non esse locum eorum amotioni a Capellania declaravit. Asciolana, die 15 Maii 1779, dub. 2.

(6. Pia mulier Cassandra Jansito de Martino Beneventana binas erigens Capellanas seu Beneficia cum missæ quotidianæ onere prælationem familiæ Bernardi Fratris in futuris nominationibus tribuit; propterea Bernardus, mortuo primo nominato Capellano, ad illam vocavit filium suum sexennium sub spe obtinendæ dispensationis ætatis cum facultate per alium onus implendi. Dispensationem implorat puer, et usquequo ad legitimam ætatem pervenerit pro suscipiendo Sacerdotio adimpletis oneribus gratiam assequutus est: Beneventana dispensationis die 28 Aug. 1779.

(7. Ob Capellaniam possessam a Canonico Coadjutore Comite Olgiati in Ecclesia Cathedrali, qui onere missæ quotidianæ per se ipsum sub auroram explendo, ac assidue residendi in loco Scalengiarum gravatur, levamen idem petiit a S. C. sed minime auditus fuit quoad onus missarum, licet agebatur de filio patroni, et imminutus redditus esse asserebatur, verum ex gratia non residebat: Taurinen. die 29 April. 1780, dub. 1 et 2.

(8. Ecclesia Prioralis SS. Apostolorum Petri et Pauli terræ Montis Leonis in Collegiatam erecta fuit. In hac erectione census in sorte 1200 fuit impositus. Vacat nunc Capellania Curata, et Prior, ac Canonici, qui ad munia Parochialia Capellano inhærentia peragenda sese obferunt, suspensionem collationis Capellaniam precantur ad effectum erogandi annua scuta 30, in partialem census redemptionem. Annuit Episcopus, et nemini suspensionem hanc afferre præjudicium addit; et tamen e S. C. non impetrat suspensio. Redeunt Oratores, et ut recedat a decisis, petunt pro ære alieno solvendo, sed persiit S. C. in decisis: Civitatis Plebis die 5. Aug. 1780.

(9. Capellaniam instituit Lodovicus Taberna tunc Episcopus Laudensis, jusque nominandi contulit in hæredem Cæsarem nepotem; oneraque personalis celebrationis residentie adjecit Capellano. Laurentius Taberna patronus præsentavit Balthaxarrem Volpi in ætate viginti duorum annorum constitutum et nondum clericali tonsura initiatum. Supplicavit hic sibi dispensari super defectu ætatis, ut ad ejus titulum possit ad Ecclesiasticum statum promoveri. S. C. dispensationem impertita est juxta votum Archiepiscopi, Episcopi Papiensis. Papien. Dispensat. die 16 Sept. 1780.

(10. Capellanas in Metropolitana Ecclesia obtinentes dum Missas solius presentie celebrabant, consueverunt etiam eadem die

alia onera Missarum adimplere cum sacrificii applicatione. Usum non satis tutum Revisores Legatorum Piorum existimarunt. Verum animadvertentes reddituum tenuitatem, et excessivum missarum numerum, precati sunt, ut Capellanis concederetur facultas onera missarum explendi per solam celebrationem, solamque praesentiam cum applicatione sacrificii pro aliis Legatis, quibus onus inest applicationis. Re ad S. C. delegata, et dubio proposito, quibusnam Capellanis sit locus celebrationi et missarum applicationi? responsum prodiit, dilata et ad mentem. Et mens est, ut exhibeantur decreta, acta facta coram Card. Del Verme, et ut scribatur Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem: Ead Caus. 19. Julii 1783. Instructione dictum est, haud deprehendi ex fundatione nonnullarum Capellaniarum legem fundatoris exclusivam oneris missas applicandi, ac prorsus ignorari consuetudinem, quae respicit modum, et tempus explendae celebrationis. Inde animadversum, quod Rectores hujusmodi an. 1703. in S. C. institerunt pro executione decreti Episcopi Fontana, quo celebratio pro mortuis fundatoribus demandata fuit. De aliis vero Capellanis descriptis nullam proferri testamentariam dispositionem S. C. putavit, nec de iis mentionem fieri in sententia anni 1703, et in hoc casu fundatorum suffragio consulere voluisse censuit. Hinc postulatur ulterior causae elucidatio Ferrarien. 19. Julii 1783.

(11. Capellania, quam fundavit Sanctes Liegi in oppido Castri Plani gravatur onere missarum cum elemosyna ob. 12. juxta redditus, missae solemnis in Sabbato Sancto et festis B. M. V. quae missae inter illas cujusdam hebdomadae computari debent; insuper, onere interventus vespere, et missis solemnibus, ac aliis quibuscumque Parochialibus functionibus. Modo petitur reductio missarum ad taxam conciliarem, et exemptio a celebratione missae solemnis his diebus, quibus Parochus loci solemniter Sacris operatur, aliorumque onerum moderatio. Verum S. C. non favit missarum reductioni, et reliqua arbitrio Episcopi remisit: Aesina 25. Novem. 1785.

(12. Licet Capellaniae octo fundatae in Monasterio Monialium S. Augustini ratione diminutionis reddituum, ac onerum earumdem reductae ad septem fuerint, moniales modo instant pro ulteriori reductione, annonae caritatem, reddituum tenuitatem, nec non inveniendi Capellanos difficultatem allegantes. Annuit gratiae S. C. juxta votum Archiepiscopi: « Qui sequentem proponit reductionis modum: Narratum est supra, ut cum Capellaniae ab octo ad septem redactae fuissent, jussum fuerit, ut superextantes redditus in elemosynam tot missarum lectarum implicarentur. Harum vice proponit augmentum dotis septem Capellaniarum ad scut. 48. cum dimidio circiter, comprehensis Sacris Utensilibus; factaque hac additione superfuturas adhuc animadvertit lib. 21, 12, 3, ex illis quae fuissent in missas lectas, de

quibus supra erogandae; » ita tamen, ut missae ex redditibus uniendis, et respective ex delendis oneribus celebrandae applicentur pro particularibus benefactoribus, quoad fieri separatim poterit, sin minus, collective: Januen. Reduct. Miss. 17 Junii 1786.

(13. Marcus Aurelius Peretti ex compatriotis cujusdam Capellaniae laicalis novem Capellaniae praediola ac domum, quae eidem fundationi assignata erat, alienavit. Inde Sacerdos Carolus Peretti, qui eandem Capellaniam cum conditione amissionis, si congruo beneficio provideretur, obtinuit, paulo post Ecclesiam quamdam Parochialem quam decennio tantum retinuit, assequutus est; hinc post Praeae dimissionem, inspectis dictis alienationibus, Saero patrimonio destitutus ille remansit; exorat proinde redintegrationem ad nulliter Capellaniae bona distracta et reportavit ad ea quae descripta in instrumento diei 9. Decem. 1757. fuerunt: Asculana, Capellaniae die 2. Decem. 1786. dub. 1.

(14. Possessionem capta ab Aloysio Terrentio nominato ad Capellaniam fundatam ab Ubaldo Conversi in Ecclesia S. Nicolai Castri Elogobiarum non esse circumscribendam prout praecedens Capellanus ad triennium nominatus autumaverat, ex quo ipse durante triennio, et proinde ante nominationem Aloysii S. C. perpetuitatem postulaverat: Pisaren. Capell. 2. Decem. 1786. dub. 2.

(15. Quod Capellaniam institutam a Joanne Baptista Boasi super Domo pluribus obligationibus affecta, nec non et doti subjecta Catherinae Passano, responsum fuit, providendum esse juxta votum Archiepiscopi: Archiepiscopus censet quoad secundam Capellaniam ut Oratrix teneatur Capitale hujusmodi: lib. duo mille caute collocare, cum ejus monetali augmento, quo evehitur ad libras bismille sexcentas triginta sex hujus monetae extra bancum, ad hoc ut ex ipsis proventibus singulis annis celebrare facere teneantur tot missas rationata elemosyna ad hanc Synodalem taxam, injuncto pariter ipsis onere continuo celebrare faciendi tot missas pariter ad formam Synodi quot essent fructus Capitalis praedicti a die adeptae possessionis Domus ejusdem usque ad diem, qua praeficitur impendium applicatis missis pro Joanne Baptista et Laura: Januen. Reduct. et Translat. missar. die 16. Decem. 1786. dub. 1.

(16. Quo vero ad aliam Capellaniam institutam a Laura Boasi super eadem pariter domo fundata simile responsum prodiit: Ibid. dub. 2.

(17. Canonicus Guidus Badalotti Capellaniam laicalem instituit, nemine ad juspatronatus passivum vocato. Unus patronus masculus Joachim Provenzali superest. Prae sua paupertate exorat ille, ut suspensa nominatione Capellani, sibi reddituum Capellaniae decernatur administratio, ea tamen lege ut reddituum medietas sibi in alimoniam durante paupertate, medietas altera in elemosynam missarum juxta testatoris vo-

tum erogetur Oratoris petitis S. C. indulset ad quinquennium, expletis duobus anniversariis, et quinque missis: Aquen. Capellaniae 3. Febr. 1787. dub. 1.

(18. Ob diminutos Capellaniarum redditus obsecrata fuit S. C. a Collegiatae Ecclesiae Capellanis pro onerum reductione, et commutatione anniversariorum ad missas lectas, ita tamen ut idoneum Capellaniae praedictae praestare possent titulum pro sacra ordinatione, et S. C. eos audivit juxta votum Card. Relatoris: Leodien. 24. Martii 1787.

(19. Ex annuis Mediolanensibus libr. 300 seu scut. 50. monetae Romanae Capellaniam instituit Antonius Robbio in Parochiali Ecclesia oppidi Salarum cum onere quotidiani sacri et Choralis residentiae in divinis. Aucta in ea regione ad ob. 16. cum dimidio manuali elemosyna, S. C. precati sunt patroni pro reductione onerum; et illa Servitium chori deleri statuit, et ad rationem manualis missas celebrari voluit: Derthonen. Reductionis Onerum 19. Maii 1787.

(20. Fundata Capellania laicali in oppido Montis Sancti a Sacerdote Spiriti, inter caeteras pactiones fundationis quae causam controversiae praebent, ipse voluit ut Plebanus pro tempore et Sacerdos dicti oppidi senior libere possint, et absque causa aliqua Capellanum pro eorum arbitrio remove, quin rationem nisi Deo et eorum conscientiae afferrent. Hac de causa senior Sacerdos Canonicum Canepinum possessorem dictae Capellaniae amovit, qui gravate id ferens, querelam ad S. C. detulit, quae servandam esse amotionem, nec esse locum reintegrationis, licet Episcopus id evenisse ex odio testetur, deliberavit: Firmana, Capellaniae die 3. Martii 1787. confirm. 19. Maii.

(21. Ad Capellaniam residentialem in Ecclesia Cathedrali institutam patroni laicum Petrum Schiavinum annorum 14. sub conditione assumendi Clericatum nominarunt. Capellaniam hanc Sacerdotalem postea S. C. declaravit. Attamen dispensationem aetatis praevia SSmi consultatione donec ad legitimam aetatem pervenerit, Clericus ille reportavit: Asten. die 20 Sept. 1788. dub. 2.

(22. Quatuor in Basilica Lateranensi Capellanias Hilarius Maurus Parmensis instituit, ac unicuique Capellano onus injunxit missae quotidianae, et instar Canonicorum ejusdem Basilicae choro inserviendi. Causa diminutionis earumdem reddituum una, deinde altera fuit suppressa, et declaratum augendi earum numerum, si auferentur et fructus. Verum quum Capellani sortem scut. 1400. et fructus scut. 1300. recuperassent, Capitulum Lateranense instituit, ut auferetur servitium chori; S. C. audito Archiepiscopo, censuit missarum onus augendum et Capellanias reintegrandas juxta numerum a testatore praefinitum; hinc S. C. rescripsit juxta votum in omnibus Card. Protectoris. Est in folio proposita causa, in decisio dictum est. Romana 11. Aug. 1759. Capellani conquisiti sunt, et reductionem missarum petierunt, et S. C. jussit ut eligatur peritus judicialis pro firmatione status 17 Junii 1775.

FERRAR. II.

inde permansit in decisio 4. April. 1778. Demum putavit recedendum a decisio et juxta votum Card. Archiepiscopi. Qui ita concludit: « Qua de re quoniam et patronorum consensus accedit, censerem annuendum esse Oratoribus pro reductione missarum ad menstruas 43. tantum, ab ipsis celebrandas, servata forma in omnibus rescripti hujus S. C. lati die 1. Decem. anni 1723. » decidere die. 20. Decem. 1788.

(23. Cardinalis Cosma Imperiali Capellanias fundavit pro Januensibus Sacerdotibus in Ecclesia S. Joannis Baptistae ejusdem nationis, onera explicandi quolibet die festo Evangelium, et peragendi Catechismum, nec non applicandi viginti missas mensuatim Capellanis imposuit. Capellani paulatim missas 20. per alios applicare, reliquas pro praesentia omittere coeperunt. Secreta Ecclesiae Congregatio decrevit, Capellanis non licere per alios celebrare. Conquisiti sunt Capellani; sed S. C. eos in praefata Ecclesia teneri quotidianum missae sacrificium per se ipsos operari respondit: Romana, Capellaniarum die 27. Junii 1789. dub. 1.

(24. De Capellanis institutis a Card. Cosma Imperiali in Ecclesia S. Joannis Baptistae Januensis cum onere personalis celebrationis, et in casu deficientiae amissionis assignationis non constat. An et quae rata pars menstrui eorum assignationis sit statuenda in singulas missas, et cui in casu omissionis per Capellanos celebrationis adjudicandum, quod superest, detracta elemosyna alterius Sacerdotis celebrantis? rescriptum est affirmative in obolis 20. pro qualibet missa retinendis in favorem Ecclesiae, detracta alterius Sacerdotis celebrantis elemosyna: Romana, Capellaniarum die 27. Junii 1789. dub. 2.

(25. Capellanis Hospitalis S. Mariae de Crucibus Sacramenta infirmis alisque ibi commorantibus administrare licere S. C. definiit. Definiit quoque eorum eadavera in ejus Ecclesia et coemeterio esse condenda. Modo definiit eisdem Capellanis licere praesente Parocho aqua benedicta cadavera extra Hospitale humanda in actu eorum traditionis aspergere. Ravennaten. die 27. Junii 1789. dub. 3.

(26. Ad possessorem Capellaniae fundatae a Sacerdote Joanne Femi cum onere missarum, adjuvandi Parochum ac pueros erudiendi Communitas Castri Pascuorum partem ratam del Castelluccio in augmentum Capellaniae reddituum cessit. At ad solvendum debitum collectarum camerarium, quarum impositione possidentes del Castelluccio, gravati fuerant, Capellanus Buccetti suam partem ratam, animo tamen repetendi, pependit, ac inde exoravit S. C. pro restitutione indebiti; eoque defuncto, instantiam prosequuti sunt illius haeredes ac hodiernus Capellanus. S. C. fuit animo spectare onus exsolvendi collectam ad universitatem Femmatris: Spoletana die 27 Febr. 1790, dub. 1.

(27. Quum Clericus Joseph Bracci ad Capellaniam Sacerdotalem de jurepatronatus institutam a Sacerdote Petro Bracci nomi-

natus fuisset, dispensatio ætatis ab eodem, qui modo attingit decimum nonum annum cum dimidio, fuit postulata. Hanc S. C. impertivit; nam ille de agnatis, quos testator prædilexit, est, nec ejusdem familiæ ullus Sacerdos est competitor; Senogallien. Capellanæ die 17 April. 1790, dub. 2.

(28. Anno 1504. Sacerdos Dominicus de Ochis Capellaniam cum onere sacri quotidiani, et diurni nocturnique servitii Ecclesiæ Cathedralis instituit. At in Visitatione anni 1589. causa reddituum diminutionis missæ ad tres hebdomadales reductæ fuerunt. Modo Capellaniam Ferdinandus Chiabrera possidet, qui postulat, an et quomodo impleri debeant onera ejusdem? Affirmative juxta votum Episcopi, qui ait « decernendam observantiam celebrationis trium missarum qualibet hebdomada, feria scilicet secunda, quarta, et Sabbato, sicuti ab initio observatum vidimus..... et injungendum Capellano interessentiam Divinis Officiis in Cathedrali celebrandis diebus festis de præcepto. » S. C. respondit: Aquen. Reduct. Oner., die 19 Febr. 1791.

(29. Capellanus foundationis Angeli de Pennacchis, cui onus imposuit fundator celebrandi Sacrum in festis diebus de præcepto et in aliis festivitibus B. M. V. illud celebrare tenetur in festivitibus etiam, quæ non sunt de præcepto: Nullius: Ferentilli, Visitationis Sacr. Liminum, die 19 Febr. 1791, dub. 4.

Et aliqua occurrente festivitate B. M. V. diebus Dominicis aliisque festis de præcepto, non tenetur Missam alia die supplere. Ibid. dub. 2.

Neque tenetur celebrare in aliis etiam festivitibus B. M. V. ab Ecclesia indictis post erectionem Capellanæ. Ibid. dub. 3.

(30. Clericus Antonius Maria Bollati ex passive vocatis obtinet Capellaniam fundatam a Josepho Antonio Coppi in Ecclesia Parochiali Capriarum, et gravatam onere missæ quotidianæ, residentiæ aliisque, tributa tantum vocatis facultate supplendi per alium, excepto Parocho, ut in Ecclesia duæ sint missæ. Dicitur Clericus suam exponens paupertatem petit, an et quomodo sint concedendæ vacationes? S. C. rescripsit quoad vacationes negative, excepto casu infirmitatis: Segusien. Reduct. Miss., die 16 April. 1791, dub. 1.

(31. Clericus Antonius Maria Bollati ex passive vocatis obtinet Capellaniam fundatam a Josepho Antonio Coppi in Ecclesia Parochiali Capriarum onere missæ quotidianæ, residendi, aliisque gravatam, cum facultate tamen supplendi per alium, excepto Parocho, ne Ecclesia illius missæ privetur. Dicitur Clericus suam exponit paupertatem, et quærit an sit illi libera applicatio? Negative S. C. respondit: Segusien. Reduct. Miss. die 16 April. 1791, dub. 2.

(32. Primum Capellaniam perpetuam, postea legatum pium missarum instituere placitum fuit Octavio Speranza. Propterea Episcopus Beni pium legatum instantibus patronis in Capellaniam erexit, et in favorem

ejusdem Clerici patrimonium sacrum constituit. Hodiernus modo patronus pro redintegratione legati pii ad formam testamenti precatur, et S. C. consulta sanavit erectionem confectam, celebratis missis bis centum sexaginta in Ecclesia, in qua testator tumulatus est: Fanen. Capell. 7 Maii 1791, dub. 1.

(33. Octavius Speranza, etsi in primo testamento Capellaniam perpetuam instituerit, tamen in secundo, primo revocato, legatum pium reliquit; idcirco Episcopus Beni erexit illud in Capellaniam, quam Clerico Francisco Rossetti pro sacro patrimonio contulit. Patroni postularunt, ut redintegretur legatum pium, sed S. C. prævia sanatione erectionis Capellanæ, Sacerdotem præfatum, qui bona fide ad Sacerdotium ascendit, abdicari non debere titulo Capellanæ, et quoad administrationem juxta votum Episcopi: « Episcopus censet relinquendam Administrationem Rossetto, qui 24 annis titulo patrimonii bona fide possedit. » S. C. respondit: Fanen. Capellanæ, die 7 Maii 1791, dub. 2.

(34. Capellania Sacerdotalis, quam in Ecclesia S. Sebastiani Societatis de Battuti Bianchi fundavit Sacerdos Jo. Magnoli cum onere quotidiani Sacri, conceditur in favorem pueruli Josephi Antonii Brunaccini annorum quatuor prælativè vocati, ac pauperis juxta modum, exclusis Sacerdotibus Amadei, et Bagattoni, pendente illius instantia nominatis: Forolivien. Capellanæ 25 Junii 1791, dub. 1.

(35. Multiplicem ad 15 erigendas Capellanias, ac alia opera pia implenda Hippolytus Callot ordinavit, hærede instituta Ecclesia SS. Martyrum Laurentii in Fonte et Hippolyti, quam Nobilium Aulicorum Congregatio, quæ Urbana dicitur, regit. Hæc septem erectis Capellanis redditus redundantes erogavit in utensilia, imagines, Ecclesiæ restorationes, lites, quæ ad scut. 1017, 96, modo supplicat pro absoluteione, quum ob æs alienum Ecclesia impotens sit ad omnia onera explenda. Et S. C. indulsit juxta votum Em. Visitoris: Romana Unionis Reddituum, 25 Junii 1791, dub. 2.

(36. Canonicus Antonius de Sanctis Capellanus amovibilis Capellanæ nominatus est ab Officialibus Societatis S. Sisinnii Martyris Tophiæ, sed dicti Officiales post quadragenariam possessionem eum dimiserunt, ob iteratam ab eodem compositionem a Rev. Fabrica impetratam, et a S. C. Concilii reductionem, insciis Officialibus dictæ Societatis. S. C. autem consulta, redintegrationem dicti Canonici ad Capellaniam mandavit: Nullius Farfen. Capellanæ, die 6 Aug. 1791.

(37. Capellaniam annui redditus scut. 40, vel 36, absque expressa celebrationis missarum mentione, Sacerdos Antonius Bitti Antonio Rozzi, ut Sacerdotalem statum susciperet, reliquit. In reliquis vero bonis missas designavit, ideo S. C. consulta statuit missas esse celebrandas a Capellano in numero præfinito arbitrio et conscientia

Vicarii Apostolici: Recineten. Capellanæ, die 27 Aug. 1791.

(38. Antonius Orea binas instituit Capellanias, et Capellanis onus imposuit celebrandi per se ipsos, exceptis casibus legitimi impedimenti. Hinc Capellani consueverunt in casu infirmitatis prætermittere missas. Episcopus vero postulat, an et quomodo Capellani teneantur supplere missas tempore infirmitatis? et respondit S. C. affirmative, et teneri per alios Sacerdotes: Civitatis, Plebis Visitationis Sacr. Liminum, die 27 Aug. 1791.

(39. Quoad Capellaniam fundatam ab Anzelino Jabozzi in Collegiata Ecclesia S. Juliani oppidi Guardiani prædiorum medietas absque Capellanorum culpa antiquitus deperdita fuit, ideo reductæ missæ quatuor hebdomadales ad 108 annuas. Sed salis non fuit hujusmodi reductio Capellano Joanni Ambrosio Lazzarini Canonico Curato, qui exemptionem a choralis servitio, et aliam missarum reductionem implorat. Verum a prima reductione redditus minime imminuti fuerunt, et onera expleta; ideo S. C. hujusmodi preces rejecit: Novarien. Reductionis Oner., die 17 Sept. 1791.

(40. Suspendio nominationis Capellani conceditur ad quinquennium Dominico de Sanctis patrono laico Capellanæ erectæ a Palladio Olivari ad proprium altare S. Caroli in parochiali Ecclesia Montopolis, deputato ecclesiastico administratore, qui, celebratis missis ad formam foundationis, superexstantem redditum erogaret in reparationem altaris et subrogationem novæ tabulæ pietæ, nam de patrono paupere non agebatur: Nullius Farfen. suspensionis Missarum, die 14 Januar. 1792.

(41. Capellania Laicalis a Francisco Antonio Brochi instituta, ad quam vocatur linea masculina Broglia, et in hujus defectu linea masculina Rocchi Costantini cum substitutione Sodalitii Sanctissimæ Trinitatis Terræ Offidæ, conceditur administratio Theresiæ filiæ ultimi masculi familiæ Borghi ad ejus vitam: Asculana Capellanæ, die 24 Martii 1792.

(42. Eleemosynam missarum Capellanæ a Carolo Carloni fundatæ, et ab Angela ejus uxore erectæ de jure nunc patronatus gentis Aluffiæ deberi decernitur Sacerdoti Carolo Antonio Frascchetti Capellano ad manualet pro summa ab Ordinario liquidandam. Nam patroni simplicem manualet Capellano tradebant, et reliquam partem retinebant, quum de Capellania laicali, meroque pic legato agi dicitarent: Nullius S. Salvatoris Majoris Capellanæ, die 18 Aug. 1792.

(43. Jussu Francisci Malacazla Capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in domo sua, in eaque recipiendi Patres Ordinum S. Francisci de Assisis et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum neglectamque prædiorum culturam invenit: ideo exorat pro temporali missarum suspensione, ac a residentia hospitioque dispensatione, ut domus ac prædia reparentur. Annuit

S. C. in omnibus ad biennium, celebrata unica missa quolibet mense, consulto Episcopo de erogatione superexstantium reddituum in causam expressam: Lunen. Sarzanen. die 19 Januar. 1793.

(44. Petrus Angelus Mattioli laicalem Capellaniam instituens cum missarum onere, simpliciter Capellanum ad confessiones fidelium excipiendas hortatus est; ideoque S. C. consulta, an ei hoc onus incumbat? ei utique incumbere respondit: Senogallien. Capellanæ, die 20 April. 1793, dub. 1.

(45. Quum simpliciter Petrus Angelus Mattioli hortatus esset in fundatione Capellanæ possessorem excipiendi fidelium confessiones, quod onus ei incumbere decidit S. C.; modo privandum Capellaniam non esse Petrum Coccoli ob nondum acceptam ex contraria opinione pagellam Confessarii, sed præfigendum ipsi terminum arbitrio Card. Episcopi ad excipiendas confessiones: Senogallien. Capellanæ, die 20 April. 1793, dub. 2.

(46. Missæ præscriptæ Capellano a Jacobo Mancini cum eleemosyna obolorum 20, pro quolibet superexstante reddito Capellanæ annuis celebratis festivitibus sex in rurali ejus Ecclesia S. Francisci de Paula, in eadem pariter celebrandæ sunt Ecclesia ex præsumpta testatoris voluntate: Camerinen. die 11 Maii 1793, dub. 1.

Permittitur tamen illarum translatio ad Ecclesiam ab Episcopo designandam ad formam indulti S. C. 11 Martii 1786, firmo nempe remanente onere celebrandi diebus festis in dicta Ecclesia S. Francisci de Paula. Ibid. dub. 2.

(47. In favorem unici et pauperis filii Joannis Pauli Perrotti, passive vocati, qui statum amplexurus erit conjugalem suspenditur Capellania tum Jacobi Perrotti, tum Jo. Baptistæ Mollea ad quindecim annos, deputato ecclesiastico administratore, qui, adimpletis oneribus, reliquam summan Oratori consignet: Montis Regalis, Capellaniam die 23 Novem. 1793.

(48. Dianora a Monteveteri hæredem scriptum montem Pietatis Brixichellæ oneravit manutentione Capellani in Ecclesia Sodalitii S. Crucis, qui quotidianum sacrum ibi celebraret. Prævio inde laudo, stipendium fuit edictum scut. 40. et duo novissimi Capellani scut. 33. sunt consequuti. Capellania vacante, nemo comparuit ad illam acquirendam; hinc societas exorat, ut augeatur stipendium, et S. C. annuit pro summa per Ordinarium præfinita: Faventina Capellanæ 21. Junii 1794.

(49. Capellanæ laicalis fundatæ a Valerio Augustino Salvatori in Ecclesia Cathedrali dispensatio retinendæ in statu conjugali denegatur Francisco Catrani passive vocato in concursu Sacerdotis Petri ejus fratris: Civitatis Castelli Capellanæ 22. Novem. 1794. dub. 1.

(50. Denegatur prætensa circumscriptio possessionis Capellanæ laicalis institutæ a Valerio Augustino Salvatori in Ecclesia Cathedrali, in quam missus fuit Sacerdos